

ritate penitentiae, de memoria praeitarum delectationum, de affectione parentum, de sodalium & amicorum lasciuia conuersione: de inabitabile statu, de retentione & laboriosa impugnatione, de multorum casu qui coeperunt nec perseuerauerunt, & de impossibilitate perseuerantiae usque ad vitam terminum. Contra uero proficientes nimio furore bacchantur. Nam aduersus eos omnium tentationum genera (si permisi sunt) irruere faciunt. Pronos ipsos ad iracundiam, ad elationem, ad gulam, & ad lingua quaeque vitia reddunt: praecipue tamen ad fornicationem. Non diebus, non noctibus ab illis secedunt. Nimia enim inuidia face succenti: de ipsorum profectibus grauius cruciantur. Propterea tanquam rugientes seuque leones sine ulla reque infesti sunt militibus Christi generose certantibus: si quo modo eos impingant in consensum delictorum. Ipsi autem diuino fulsi praesidio quotidie robustiores nunt: & ex usu ad dimicandum aptiores, atque caelesti igne accensi tanto acrius aduersarios prosterunt, quanto uehementius ab illis impelluntur. O mirandum Deo & angelis tale spectaculum, videre scilicet spiritum fragili & infirma carne uelut debellare & vincere spiritum nullo carnis potere praegratum: spirituali assuetum certamini naturali acumine perspicuum, nec ullo locorum spacio inclusum. Ipse nepe est, qui praesumptio animi ceruicem erigere contra suum conditorem, & dicere. Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, & sicut altissimo similis. Nunc autem in lux opprobrium elationis a fragili superatur homunculo. Viros autem perfectos ad spiritualia assuetos certamina, callide semper obseruat. Illis namque in lucis angelum transfiguratur: & vitia sub virtutum specie suadere continue nititur. Nam sub colore zeli furorem inferit: sub iustitiae imagine crudelitatem: sub uelamine caritatis carnalem affectionem, sub praetextu honoris Dei, priuam laudem, & sub desiderio salutis animarum, praelationis officium suadet: ut queratur.

1. Cor. 9. Hortatur etiam ad praedicationes, ad secularium conuersionem, & ad viro-  
rum, mulierumque indistinctam collo-  
cationem: illud Apostoli commemoras. Omnibus omnia factus sum: ut omnes lucrificam. In his omnibus latet fraudes, & inimicorum laquei formidabiles, quibus capiuntur qui carent prudentia, & elatum habent cor. O quot, qui iam inter alia nidos suos collocasse credebantur, occasione fraternae caritatis in lutum carnalis concupiscentiae turpiter corruerunt. Quot temporibus nostris fuerunt, & sunt, qui tanquam ardentis lampades & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex frequenti secularium conuersione & confabulatione repositi: ad pristina opera secularis uitae miserabiliter redierunt: Quam multos quotidie intueri possumus, qui donec in humili statu & sub obedientiae disciplina perseuerant, in mentis puritate, cordis cellitudine, & virtutum perfectione se custodierunt: sed post adeptam dignitatem, post assumptum pastorale officium, propter influxus honores & nimias occupationes obliui quales fuerant, ad ima miserabiliter descendunt: Apostolorum sanctorumque opus est in praelationis dignitate humilitatem, in secularium conuersione mentis puritatem: in condescensione proximorum cordis seruare rectitudinem, &

corporis castitatem. Ideo qui stat, videat ne cadat: & qui ascendit, diligenter aspiciat quo ascendit. Verendum namque coram hominibus, & Deo odibile est, post ascensum descendere. Qui diligit intelligat. In omnibus igitur insultibus spirituum immundorum, in cunctis tentationibus quibus Christi serui impugnantur, abiciere conentur propriam confidentiam, & diuinum non cessent flagitare auxilium. Si enim sub Dei timore se strauerint, frequenter orationem, sui cordis cogitationes obserauerint, impetus animi sub rationis imperio subegeint, virtutes acquirere studuerint, & pacem mentis possidere quaesierint gaudeant quoniam cadere vix ualebunt, tamen si ceciderint non colliduntur: quoniam Dominus supponet uelociter manum, ut erigat eos.

*Quod diabolus multoties ut instrumento utitur hominibus ad tentandum eos, qui in congregationibus degunt, & simpliciter atque uirtuose conuersantur: ut illos impellat ad casum.*

C A P. XII.



Onsueuerunt ut plurimum homines quandoque aliquid difficile aggressi sunt opus, quam ad id peragendum impares se uirtibus senserint, mox ab amicis & domesticis subditi querunt: quatinus quae propria nequeunt uirtute perficere, alieno valeant adiutorio. Hac malitia arte, hoc sagaci ingenio, uti solet humani generis antiquus hostis & seruatorum Christi implacabilis inimicus. Quum enim ad debellandos & exercendos fidelium animos ex superna dispensatione constitutus sit in hoc aereo & caliginoso loco, quibus ualet modis & industria, eos tentare non desinit, ut decipiat, & prosternat. Apponit namque incessanter calliditatis suae uenena, quantum ei a Domino conceditur: sed non ad uota. Nam si ad decipiendos mortales plenam a Deo susceperet potestatem, prorsus non fieret salua omnis caro, nec quisquam reperiretur qui laqueos illius posset effugere. Diuina autem dispensatione & pia agitur miseratione cum electis, ut nequaquam supra vires tententur. Quoties namque praeualet aduersarius, & casus appropinquant: adest Dei clementia: atque fugatis hostibus, suis praesidia militibus subministrat. Ipsi etenim tanquam membris infirmis, atque debilibus in fide, spiritualia adhibet deuotionis nutrimenta, per quae in caritate crescant, roborentur in spe: & fiant aptiores ad dimicandum: O mira omnipotentis bonitas, o Dei nostri inenarrabilis sapientia, qua caritate, quae ualeat teneritudine foues seruos tuos, qui simplici tibi corde famulantur? Indefesso enim pietatis intuitu super ipsorum uigilas custodia, & imminente ruinae periculo sub latissima alarum tuarum umbra protegis & defendis. Hoc in spiritu propheta praesentat, quum dicebat. Abscondes eos in abscondito faciei tuae, a conturbatione hominum: proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum, & spirituum immundorum. Quamuis autem caeleste super Dei seruos diabolus sentiat adiutorium, quanquam neminem saluadorum de manibus domini Iesu eripere ualeat, non cessat tamen ipse malignus quin totis conatibus illis infestus sit, nunc per seipsum, nunc saepe per alios. Ideo ad tentandum humano utitur instrumento:

potif